



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Vtraque difficultas resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Christus ergo ut homo est membrum Ecclesie, ut habentis caput Deum, non autem est membrum Ecclesie, ut habentis pro capite Christum ut hominem. Et ratio quam D. Thomas sibi assignat, est quia membrum dicit dependentiam à corpore: Christus autem, ut homo, nihil recipit ab aliis Ecclesie membris, bene tamen à Deo, & ideo non potest dici membrum Ecclesie, ut habet pro capite Christum ut hominem, bene tamen ut habet pro capite Christum ut Deum. Unde quando Apostolus 1. ad Corinth. 12. ait: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*, si ly de membro referatur ad Christum, hoc intelligendum est de Ecclesia, non ut habente pro capite Christum ut hominem, sed quatenus habet pro capite Christum ut Deum. Dixi, si hoc referatur ad Christum, nam idem S. Doctor super hunc locum Apostoli, lectione 3. alias illius expositiones tradit, quæ ibidem videri possunt.

7. Ex his ergo patet, Christum merito dici caput Ecclesie morale & mysticum, per analogiam ad caput naturale corporis animalium. Quod si quæras, an etiam cor Ecclesie dici possit, quia ut cor influit vitam in cetera membra corporis viventis, sic Christus in membra Ecclesie? Respondet S. Thomas hic art. 1. ad 3. quod caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum: cor autem habet occultam quandam influentiam, & ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat & unit: capiti vero comparatur Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus visibiliter præfertur.

8. Patet etiam ex dictis, quod licet B. Virgo omnes iustos in sanctitate excedat, tamen Ecclesie caput dici nequit: etenim caput Ecclesie, secundum Patrum doctrinam & consuetum modum loquendi, non solum dicit plenitudinem & abundantiam gratiæ, sed etiam influxum meritorium de condigno, quem B. Virgo in Ecclesie membra non habuit, & ideo non caput, sed collum Ecclesie dicitur, quia Christo capiti conjunctior est.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus sit actu caput hominum viatorum, in statu peccati vel infidelitatis existentium?

9. Dixi actu caput, quia certum, est Christum esse caput in potentia omnium hominum in statu viæ existentium, etsi peccatores, vel infideles sint, cum enim omnes homines, quando in hac vita mortali degunt, saluari & iustificari possint, influxum gratiæ à Christo, ut capite totius Ecclesie possunt recipere, subindeque dici illius membra in potentia. Unde S. Thomas hic art. 3. ad 1. *Illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia: quæ quidem potentia in duobus fundatur, primo quidem & principaliter, in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis, secundario in arbitrij libertate.* Unde inter caput naturale & mysticum, Christum, discrimen intercedit, quod caput naturale non habet vim progignendi sibi membrum, sed tantum conservandi & vitaliter movendi per continuum influxum vitalium spirituum, subindeque nullo modo habet rationem capitis respectu membri aridi vel abscissi. Christus autem, ut mysticum caput, non

A solum habet virtutem conservandi & vitaliter movendi motu viæ supernaturalis membra sibi actu conjuncta, sed etiam procreandi sibi alia membra, potentia sibi conjuncta; atque adeo potest dici caput in potentia omnium hominum in statu viæ existentium; etsi peccatores vel infideles sint. Dixi hominum *in statu viæ existentium*, quia Christus nec actu nec potentia caput damnatorum dici potest: nam ut aliquis actu vel potentia sit membrum Christi, requiritur quod ipsi uniatur vel uniri possit per fidem: Sed dampnati nec habent fidem, nec illam habere possunt, ut in Tractatu de Fide ostendimus: Ergo nec actu, nec potentia, possunt dici membra Christi, nec Christus eorum caput. Addidi, *in statu peccati*, quia apud Catholicos certum & indubitatum est Christum actu esse caput omnium hominum existentium in gratia, quamvis eam sint amissuri, si predestinati sint, si reprobis: nam homo existens in gratia, est Christo unitus per fidem & charitatem, & recipit vitam supernaturalem ab illo: Sed nihil aliud ad rationem membri requiritur: Ergo Christus est caput omnium existentium in gratia, si predestinati sint, si reprobis, ut in Concilio Constantiensi sess. 15. contra Wiclefium definitum est. Duo ergo solum vertuntur in controverfiam. Primum est, an Christus sit actu caput non solum iustorum, sed etiam omnium fidelium, etsi in statu peccati mortalis existant? Secundum, an possit etiam dici caput infidelium baptizatorum, vel hæreticorum, quorum hæresis est occulta?

S. I.

Viraque difficultas resolvitur.

Dico primo: Christus est actu caput fidelium, etiam in mortali existentium: non perfecte & simpliciter, sed imperfectè & secundum quid. Est contra Cardinalem à Turrecremata lib. 1. sue Summæ cap. 8. ad 7. & contra Melchiorum Canu lib. 4. de locis Theologicis cap. ultimo ad 9. qui docent peccatores fideles esse quidem partes Ecclesie, sed non Ecclesie membra, nec per consequens Christi, qui est ipse caput.

D Nostra tamen conclusio est D. Thomæ hic art. 3. in corp. ubi ait: *Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. Primo enim & principaliter est caput eorum qui actu uniantur sibi per gloriam, secundo eorum qui actu uniantur sibi per charitatem, tertio eorum, qui actu uniantur sibi per fidem.* Ergo ex D. Thoma habentes tantum fidem, actu sunt membra Christi, & per consequens Christus est actu caput fidelium etiam in mortali existentium.

E Ratio etiam id suadet: Fideles enim, etsi in mortali existant, actu influxum Christi capitis participant, habent enim fidem ex meritis Christi: Ergo Christus est actu caput illorum.

Confirmatur: Christus est actu caput omnium actu pertinentium ad Ecclesiam: Sed omnes fideles, etiam illi qui in peccato mortali existunt, actu pertinent ad Ecclesiam: Ergo Christus est actu caput omnium fidelium, etiam in peccato mortali existentium. Major est certa, cum enim Christus sit caput Ecclesie (ut ostendimus articulo præcedenti) actu est caput omnium ad Ecclesiam pertinentium. Minor verò demonstratur à Theologis in Tractatu de Fide, potestque breviter suaderi. Primo ex Scriptura: nam Matth. 25. comparatur Ecclesia decem Virginibus, quarum quinque erant fatuæ, & sine oleo charitatis. Matth. 3. compara-

tur area in qua simul cum tritico palea comburenda inveniuntur. Et cap. 13. comparatur sagene missae in mare, in qua pisces boni & mali congregantur: Ergo ad Ecclesiam actu pertinent omnes fideles, sive sint iusti, sive peccatores.

Secundò, Ecclesia definitur a Theologis, ex Nicolao Pontifice, *Collectio fidelium*: Sed per fidem informem, actu constituitur homo sub huiusmodi collectione: Ergo efficitur actuale membrum Ecclesie.

Tertiò, Per id homo actu ponitur intra Ecclesiam, per quod actu unitur cum aliis Ecclesie partibus, in aliquo uno credito, aut amato: Sed per fidem, etsi informem, actu unitur in uno credito, cum aliis Ecclesie partibus: Ergo actu intra Ecclesiam constituitur.

13. Quod autem fideles in mortali existentes, non perfectè & simpliciter, sed imperfectè tantum & secundum quid, sint membra Christi (ut in secunda parte conclusionis asseritur) manifestum est: tum quia existens in peccato mortali, est simpliciter membrum diaboli: tum etiam quia ad rationem membri perfecti, perfectam unio cum Christo requiritur, & perfectam participatio vite spiritualis: Sed fidelis in mortali existens, non unitur Christo perfectè, nec perfectè ab illo spiritualem vitam participat: Ergo non est perfectè membrum Christi, sed imperfectè tantum & secundum quid. Unde S. Thomas hic art. 3. ad 2. loquens de his qui sunt in peccato mortali, dicit quod *non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi foris imperfectè, per fidem informem, qua unit Christo secundum quid. & non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiae, fides enim sine operibus mortua est, ut dicitur Jacobi 2. Percipiunt tamen tales à Christo quandam actum vite, qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliquantulum ab homine.* Quibus verbis S. Doctor utramque nostram conclusionis partem & docuit & probavit.

14. Dico secundò: Christus non est actu caput haereticorum, licet baptizati sint, vel haeretici occulti. Est contra Cajetanum tomo 1. opusculorum, Tractatu 1. cap. 21. ubi docet characterem baptismalem sufficere ad constituendum hominem membrum Christi & Ecclesie, & contra Bellarminum lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 10. asserentem haeticum occultum ad Ecclesiam pertinere, subindeque membrum Christi existere.

15. Probatur tamen primò nostra conclusio ex D. Thoma hic art. 3. in corpore, ubi recensens eos quorum Christus est actu caput, illos ad tres tantum classes reducit; ait enim quod *Christus primò & principaliter est caput eorum qui actu uniuntur sibi per gloriam, secundo eorum qui actu uniuntur sibi per charitatem, tertio eorum qui actu uniuntur sibi per fidem.* Sed haeretici, licet sint baptizati, vel eorum haeresis sit occulta, nullo ex his tribus modis Christo uniuntur, ut patet de primo & secundo modo, & de tertio etiam manifestum est; haeretici enim, licet sint baptizati, vel eorum haeresis sit occulta, carent fide infusà & supernaturali, & re vera sunt infideles: Ergo Christus non est actu illorum caput.

16. Probatur secundò: Ut Christus sit actu caput aliquorum, debet aliquid in eos influere ad vitam supernaturalem anime pertinens: Sed Christus nihil ad vitam supernaturalem pertinens influit in haereticos, etsi illi sint baptizati, aut eorum haeresis sit occulta: Ergo non potest dici actu caput illorum: Major patet, nam de ratione capitis non solum est superioritas, sed etiam influxus vitalis in membra sibi conjuncta. Minor verò suadetur: Initium vite

A spiritualis animae est fides, ejus verò perfectio est charitas: Sed Christus nec fidem nec charitatem influit in haereticos, quamvis sint baptizati, & eorum haeresis sit occulta: Ergo in eos nihil influit ad vitam supernaturalem animae pertinens, nullumque influxum vitalem in eos habet.

Probatur tertio: Christus non est actu caput illorum qui sunt extra Ecclesiam: Sed haeretici, etsi baptizati sint, aut eorum haeresis sit occulta, sunt extra Ecclesiam: Ergo Christus non est actu caput illorum, sed solum in potentia, quatenus possunt converti, & per fidem ad Ecclesiam redire. Major patet. Minor verò in qua est difficultas, multipliciter suadetur. Primò ex Augustino lib. de unitate Ecclesiae cap. ultimo, ubi sic ait: *Multi tales (scilicet haeretici) sunt in sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia.* Ergo haeretici, licet sint baptizati, aut eorum haeresis sit occulta, non sunt de Ecclesia.

Secundò, Vera Ecclesia est congregatio verè fidelium: Sed haeticus, licet sit baptizatus, aut ejus haeresis occulta, verè fidelis non est: Ergo ad veram Ecclesiam non pertinet.

Tertiò, Haeticus, licet sit baptizatus, vel ejus haeresis occulta, caret fide supernaturali & infusà, cum illa per haesim destruitur: Sed carens fide, non est pars Ecclesiae, nam fides est fundamentum Ecclesiae, ad Ephes. 2. *Superadificati supra fundamentum Apostolorum*, id est supra illorum fidem, Matth. 16. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, id est supra fidem Petri. Ad Colos. 1. *Si tamen permanentis in fide fundati*: Ergo haeticus, licet sit baptizatus, vel ejus haeresis occulta, non pertinet ad Ecclesiam.

Quartò, Omnis pars Ecclesiae, sub illa ut una continetur: Sed haeticus, etsi sit baptizatus, vel ejus haeresis occulta, non pertinet ad Ecclesiam unitatem: Ergo Ecclesiae pars dici nequit. Major patet, Minor probatur ex D. Thoma in 3. dist. 13. quaest. 2. art. 2. quaestione 2. in corp. ubi docet quod unitas Ecclesiae triplex est; materialis scilicet, quae sumitur à fide, per convenientiam in uno credito; formalis, quae praestatur à charitate per convenientiam in uno super omnia dilecto; & completiva, desumpta à Spiritu Sancto omnia replente & complente: Sed haeticus, licet baptizatus sit, vel ejus haeresis occulta, ad nullam ex his unitatibus pertinet, cum fide & charitate careat, subindeque Spiritus Sanctus ejus animam non inhabitet: Ergo non est pars Ecclesiae.

Denique, Non vivens vitā supernaturali, saltem imperfectā, pars corporis vitā supernaturali viventis esse non potest; unde membrum mortuū, pars corporis vivi non est, etsi talis appareat: Sed haeticus, etsi sit baptizatus, vel ejus haeresis occulta, vitā supernaturali, etiam imperfectā, non vivit, cum primum initium vite supernaturalis sit fides: Ergo licet exterius pars corporis Ecclesiastici appareat, verè tamen pars Ecclesiae non est.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Christus non est actu caput eorum qui non sunt partes, aut membra Ecclesiae: Sed homo in mortali existens, etsi fidelis sit, non pertinet ad Ecclesiam, nec est pars aut membrum illius: Ergo Christus non est actu caput illius. Major patet ex supra dictis, Minor verò probatur primò ex SS. Patribus, qui passim asserunt peccatores non per